

*citorum Ecclesiasticorum; tertiam argumentorum politi iudicii
 & honeste rationis.* In prima classe recensetur interdictum
 Noacho datum, a Mose repetitum, ab Apostolis autem in-
 duraturum jus Christianitatis e Concilio primo confirma-
 tum. Illustria hæc sunt, & maximi momenti, sin acceptan-
 da ita fuerint, ut sonant, & magno crimine maxima Chri-
 stiani nominis multitudo suum alligavit caput, dum viola-
 re ausa interdictum fuit, tam docendo perperam, quam im-
 pietati doctrinæ, infra gentium multarum a sanguine ho-
 nestam abstinenciam se turpiter abiciens, obtemperando.
 Liberemus igitur a crimine rem Christianam, & conscien-
 tiæ nostræ consulamus, teneræ admodum & flexibili, nisi
 solide fulciatur alligeturque. Examinemus ordine, quæ
 dicuntur. Interdictum Noacho propositum describitur *Gen.*
IX, v. 4. Hebræus ita: *לֹא-תֵאָכַל בְּשָׂרָא בְּחַיָּוִתָּא*,
LXX. πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς & Φάγῃσθε. *Symmachus,*
πλὴν κρέας & σὺν ψυχῇ αἷμα αὐτῆ. *Vulgatus,* carnem cum
 sanguine. *Seldenus* ex R. Saadia Gaone, *carnem non comedes*
in sanguine suo. B. nofter *Lutherus* commentario aureo in
 illum locum, textum in Hebræo admodum obscurum esse
 dicit, & varias esse interpretum opiniones, & se regulam
 sequi profitetur, ut statuatur, *verba debere servire rebus, non e*
contra res verbis, itaque nil se morari iudicia eorum, qui ver-
 ba interpretentur pro suo affectu, & velint ea servire cogi-
 tationibus, quas ipsi ad lectionem afferant. Evolutis de-
 inde vocibus concludit sententiam, *prohibere Dominum in eo*
loco id corpus comedi, quod habeat adhuc agitantem moventem &
viventem animam, sicut milvus pullos gallinarum, lupus oves vo-
ret, non mactatas antea, sed vivas. Hanc crudelitatem hoc loco
 interdicere Dominum, & restringere illam mactandi licentiam, ne
 fiat beluino modo, ubi viva corpora, aut vivorum corporum partes
 vorantur. Fluit verte hæc simplex explicatio ex ipso con-
 textu & versionibus modo allatis, nec ratio interdicti *versu*
seq. aliter poterit accommodari interdicto, nisi in compara-
 tione cruentæ & brutæ comestionis. Uti enim truculentæ
 bestię invadunt hominem viventemque miserabiliter vo-
 rando

De J. N. &
 G. lib. 7.
 cap. 1.